





1718, 23

27

21.

2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

# FEBRE HECTICA,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

## GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ,  
IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, VVEST-  
PHALIAE, ET RELIQVA,

PRÆSIDE

### IOANNE ADOLPHO WEDELIO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, PROFES-  
SOR. PVBL. ORDINARIO, MED. DVC. PROV. SAXO-VINAR. AC CI-  
VITAT. IENENS. PHYSICO,

## PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA

& Privilegia Doctoralia,

MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI

SOLEMNI PHILIATORVM  
examine submitit

### HENRICVS GOTEFREDVS ZOPFF,

GERA-VARISCVS.

AD. D. VII. FEBR. M DCC XVIII.  
HORIS LO. QVE CONSVPETIS.

---

IENÆ, CHARACTERIBVS KREBSIANIS.



6

DISSELTATIO IN AVGVRAH MEDICA  
da

# FEBRE HECTICA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI  
D. O. M. N. O.

WILHELMO HENRICO

D. K. E. L. I. O. N. I. E.  
PUBLICAE CLINICAE, ROYALIS, ACADEMIAE  
MEDICINAE, ET CHIRURGIAE  
PRINCIPIS, ET REGIS  
SARONIAE, ET SILESIAE  
MAGISTRUM

IOHANNI ADOLPHO WELTNO

PHILOSOPHO ET MEDICINAE DOCTORE, PRAECEPTORI  
SARONIAE, ET SILESIAE, ACADEMIAE  
MEDICINAE, ET CHIRURGIAE  
PRINCIPIS, ET REGIS  
SARONIAE, ET SILESIAE

## PRO LICENTIA

IN ARTE MEDICAE HONORIS IN SARDINIA

8. Nicolae Bordini  
CROCE MAIORIS AITE CAPPELLANI  
SARONIAE, ET SILESIAE

HENRICO GOTTFREDVS ZOPF

ORD. WARTISCVS  
AN. D. VII. FEBR. M. DCC. XLIII  
HAB. O. Q. D. CON. P. T. I. E.

LEN. S. CHARACT. ...



DOCTISSIMO NOBILISSIMOQUE  
VIRO  
HENR. GOTHOFRIEDO ZOPFFIO  
MEDICAE ARTIS CANDIDATO  
DIGNISSIMO  
PER CONSVETA SPECIMINA  
AD  
SVPREMOS IN ARTE MEDICA  
HONORES RITE CONTENDENTI  
FAVSTA QVAEVIS ATQUE PROSPERA  
ADPRECATVR  
IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS.  
THEOL. D. ET P. P. O.

DOCTISSIMO NOBILISSIMOQUE  
VIRO  
HENR. GOTHO.  
FRIEDO JOSEPHO  
MEDICAE ARTIS CANDIDATO  
DIGNISSIMO  
PER CONSPECTA SEECIMINA  
AD  
SVPREMOS IN ARAE ME-  
DICA HONORES RITE CON-  
DENTI  
FAVSTA QUAEVIS ATQUE PROSPERA  
AGRICULTUR  
IOAN. FRANCISCUS BADDEER  
THEOL. DR. P. R. O.



VIR DOCTISSIME, NOBILISSIMEQVE,

\* \*

\*




Non consuetudo, aut recepti mores gratulandi mihi nunc imperant officium, sed animus laetitia exultans ad id me impellit. Nouum enim in Te exoritur sidus, nouum ZOPFFIAE genti decus, nouumque conciliatorum splendorem. Parentis Tui, venerandi senis, in se merita dudum patria veneratur; felicitatis singularis merito partem reputans, quod his Tua quoque sit additura. Neque meam, quam de Te, cum omnibus, quibus innotuisti, animo conceperam, spem fefellisti. Simul ac enim hanc ingressus es academiam, medicae artis sacris operaturus, meisque primum exceptus aedi-

X

aedibus, eam ingenii solertiam, cum modestia singulari, summaque in litteris tractandis diligentia, coniunctam deprehendi, quae non nisi praeclara quaeuis ac egregia polliceri poterat. Quantum his omnibus praestabas multis aliis, tantum remotum Te ostendebas ab illorum moribus, qui tempus otio transigunt, istudue sero nimis quantumuis magno pretio redimere, cupiunt. Exemplum itaque praebuisti aliis, quod imitari, ad quod se componere debent, qui litterarum sacra in academiis colunt: sed nunc quoque Tuo condiscere exemplo omnes possunt, virtutem suis non carere vel praemiis, vel ornamentis. Ad summos enim, qui medicae artis alumnis conferri solent, honores, ut recto itinere contendis, ita ut Tibi feliciter prospereque hoc eueniat, & parenti Tuo optimo summeque venerabili, voluptatem quam maximam solatiumque adferat, id quidem est, quod & in votis habeo, & a DEO precibus deuotis impetrare non desinam. Scribebam Ienae Kal. Febr. M DCC XVIII.







I. N. I.

## PROOEMIUM.



**I**nter alia, qua curationem morborum vel difficiliorem vel frustraneam reddunt, impedimenta, haud infimum est, quod ad primum mali sensum mederi haud liceat.

Hoc enim tempore & causa morbosa facilius remoueri & corrigi, & ipsa pars affecta in integrum restitui promptius potest, quam si illa granior, hac vero debilior, magis redditur.

Id autem ne fiat, vel ipsi agri, vel morbus, in culpa esse solent. Egri committunt, ut curatio differatur, dum morbum accedentem, nisi statim grauiora, & inprimis dolorosa, se exerant sym-

A 2

ptoma.

ptomata, primitus negligunt, sponte iterum abiturum existimantes.

Talis eorum opinio ad huc magis confirmatur, si olim iam leuiori laborauerint morbo, isque sine medicina euanuerit, nescientes, idem saepe leuiorum ac periculosissimorum affectuum esse initium.

Morbus vero intermissa medela causa euadit, si leuissimum ac vix sensilem habeat accessum, & successiue ac lente incrementum capiat, citra notabilem symptomatum presentiam, unde aegri, molestiam fere nullam sentientes, nihil minus sibi persuadere possunt, quam se agrotare.

Ex his quoque est heftica, qua, cum dolorem coniunctum habere non soleat, opinantibus id minus aegris se insinuat, & radices firmiores agens, curationem seram difficiliorem reddit, & tandem nullam nisi palliatiuam admittit, qua in principio tolli potuisset facillime.

Huius morbi disquisitionem loco disertationis inauguralis iam persequi constituimus, cui labori ut gratia sua adesse velit Diuinum Numen, supplices oramus!



## THESIS. I.

**R**ecte omnino faciunt, qui ἀπὸ τῆς ἑξέως Hectica denominationem deriunt, habitualement illam inuenientes totius machinae microcosmicae diathesin, qua se difficile eradicari patitur hoc malum, cum semel altas radices in corporis penetralibus egit. Consentientem in his habent Galenum, qui *Method. Med. Libr. VIII. cap. 1. §. 4.* facile solubiles, inquit, morbos dicunt esse ἐν ἁέρει: contra non tales ἐν ἕξει. Et concedendum illis est, ut clarioris doctrinae gratia, ipsas etiam febres vocent ἐκείνας, quae non facile curantur, veluti ἁερνὰς illas, quae facile. Quoniam vero speciatim hæc, de qua agimus, febris maxime talis est, καὶ ἐξοχήν ita vocari consuevit. Alii, quoniam habitus corporis etiam per ἕξιν designatur, ideo hecticam vocari contendunt; cum in habitu corporis tanquam in subiecto consistat, vel potius eiusdem mutationem satis enormem post se trahat. Dicitur vel simpliciter hectica, vel febris hectica, ut etiam febris habitualis, colliquatiua, nostris ein schwindfüchtiges oder auszehrend Fieber.

## THESIS. II.

Est autem Hectica febris continua, lenta, in principio subdola, postmodum vero magis manifesta, & in progressu colliquationem partium mollium, & prostrationem virium, ac tandem mortem inferens, a fermentatione præternaturali, successiua, æquali & habituata de-

pendens. Febrim generis loco posuimus, cum requisita febris hic quoque adsint omnia. Intelligimus autem per febrim morbum intemperiei calidæ vniuersalis, a fermentatione præternaturali dependentem. Ad morbos enim febrem pertinere, minime autem actionem vitalem recte dici posse, euidentissime potest demonstrari. Si enim curationem febris, quam natura aliquando sola, aliquando prudenti medici auxilio adiuta, præstat, confundere cum ipsa febre velimus, aliud nomen morbo, quem natura depellit, imponendum esset, & sic lusus saltim ac mutatio in nominibus contingeret, re manente eadem. Par ratio est, si pugnam naturæ febrim velimus definire, febris enim non tam pugna est, quam id præternaturale in corpore hærens, contra quod pugnam inicit natura, vt adeo pugna, si ita vocare placeat, pertineat ad naturam, febris vero ad morbum, merito distinguenda. Sed hæc obiter saltim.

### THES. III.

Continua est febris, nunquam intermittens, & quanquam post partum auctus videatur calor præternaturalis, & postmodum remittat, non tamen penitus cessat, sed ad pristinum gradum, imo successiue paulo maiorem, redit. Lenta etiam deprehenditur, neque enim acutarum instar breui finitur, nec subito inualefcit, sed successiue magis magisque a naturali statu recedit, & in principio vix aduertitur, vel attenditur ab ægris. Et quod hanc causam etiam suddola est, cum leuiter & insensibili.

libiliter primitus aucto calore fallat ægros, vt se, minus ægrotare, existiment. Quoniam autem sine intermissione, quanquam lente, augmentum huius febris fit, ad talem gradum, qui manifesto sensus ægri & aliorum incurrit, vt perueniat, necesse est, & hinc reliqua in definitione posita apparent, de quibus inferius dicendi erit occasio. Vltima differentia definitionis specifica sumta est a causa, quam paulo post explanabimus.

#### THES. IV.

Subiectum febris hecticæ principale idem est ac aliarum febrium, massa nimirum sanguinea vna cum corde & vasis, secundarium vero & adæquatam est totum corpus reliquum. Quemadmodum enim temperies corporis humoribus vitalibus debetur proprie, ita etiam intemperies in his fundamentum habet, qui hinc reliquo corpori similem conciliant, dum a corde per vasa sanguifera in vniuersum corpus distribuuntur.

#### THES. V.

Causa mali huius immediata est fermentatio præternaturalis paulatim increfcens, æqualis & habitata. Fermentatio cum sit motus humorum intestinalis a salibus contrariis intermedio existente sulphure excitatus, atque in massa sanguinea hoc loco talis etiam fiat, causam video nullam, cur admittere hoc nomen nolimus, rem satis apte denotans. Nimis enim strictis cancellis includere fermentationem videntur, qui vegetabilibus

eam

eam tantum competere; & vel spiritum ardentem vel liquorem acidum ynice pro effectu habere, contendunt. Soli enim principio vitali, vel animæ, vel archeo adscribi hic motus haud potest, quod quidam facere videntur, qui febres pro actione habent vitali. Nam, quamvis tale principium primum mouens, vitale, omnino necessarium sit, & sine hoc nec calor naturalis, nec vlla actio, consistere vel praestari queat, tamen illud etiam non pro modulo, vt philosophi loquuntur, actiuitatis suæ, sed pro modulo receptiuitatis agere valet. Vnde, nisi partes salino-sulphureæ sufficienti quantitate in massa sanguinea hæreant, excitari febris haud potest, imo si nimis hæ partes deficiant, frigida potius conspicitur intemperies, vt vocatur medicis, seu minor caloris gradus, quam secundum naturam esse debebat, licet principium illud vitale adsit. Vti autem fermentationi apta alias a calore externo proportionato promptius talem motum subeunt, ita etiam in corporis viuentis sanguine partes salinæ & sulphureæ tali quantitate sibi iunctæ, vt ad fermentationem determinatam habiles sint, facilius in talem motum rediguntur, quia a principio vitali perpetuo & motu & calore sanguis gaudet.

### THES. VI.

Præternaturalis autem hæc est fermentatio, quoniam minus proportionata est corpori, sed noxam potius infert. In principio quidem non ita longe a statu naturali recedit, vnde etiam effectus eius noxius haud fere

ferè percipitur. Paulatim vero incrementum dum cap-  
 pit, temporis interuallo quodam interposito, increuisse  
 prehenditur, & effectus magis manifestus se exerit.  
 Aequalis magis est sibi relicta, non enim exacerbationes  
 notabiles habet, post partum enim quanquam notabilior  
 calor sentitur, is tamen ab accedente nouo chylo de-  
 pendet, vnde eo iterum subacto intimeque remixto ad  
 pristinum gradum fere, saltem ad sensum non maiorem,  
 redit calor præternaturalis. Habitua tandem fermenta-  
 tio hæc dicta est, quoniam a tali constitutione massæ  
 sanguineæ dependet, quæ a natura, sibi relicta, emendari  
 nequit, vnde quasi in habitum transit, firmiter perstat,  
 & magis magisque, licet sensim, augetur.

THESES VII.

Dependet talis fermentatio a constitutione massæ  
 sanguineæ ita vitata, vt eiusdem serum partim deficiat,  
 partim acrimonia volatili fermentatiua penitus infecta  
 sit. Vnde serum iræ se habens est causa mediata pro-  
 ximior. Per se vero patet, defectum feri & eius acri-  
 moniam dictam tali tantum gradu hic adesse debere,  
 vt fermentationi tactæ perficiendæ proportionata sint.  
 Proportionè enim alia præsentè, alia potius, quam hæc,  
 febris oritur. Serum in statu naturali balsamicum &  
 blandum præsens temperat & refrenat partes sanguinis  
 acriores salino-sulphureas, ne motus earum feddatur  
 nimius, sed proportionatus. Sin autem minuat ser-  
 rum, illæ partes, eminentiores redditæ, agitationem sub-

B

eunt

eunt maiorem, & hinc præternaturalem fermentationem concipiunt facile, calorque augetur. Vti autem ferum imminutum dicto modo occasionem præbet, vt fermentatio peregrina confurgat, ita multo magis si acrimonia volatili fermentifica inquinatum sit, id præstabit, vbi non solum non temperat sanguinis partes actiuas, sed & simul agitationem fermentificam efficit & promouet. Omnia itaque, quæ vel lymphæ defectum inferre, vel acrimoniam eiusmodi ipsi conciliare valent, ad causas hecticæ remotiores pertinent. Hæ vero sunt vel naturales, vel nonnaturales, vel præternaturales, ad quas iam considerandas progredimur.

### THES. VIII.

Ex naturalibus occurrit primitus temperamentum, quod quo propius ab eiusmodi statu abest, eo promptius & facilius in eundem transit. Tale autem in primis est calidum & siccum seu cholericum, quod secundum naturam etiam pauciori gaudet humido seroso, & particularum salino-sulphurearum abundat copia. In melancholico etiam temperamento siccitas cum adsit, facilius, quam in reliquis humido abundantibus, tale quid confurgere potest. Ætas eiusmodi, vbi serum magis imminui, calor vero actiuior reddi, solet, quod in iuuentute ac virili ætate fit, prona præ reliquis ad tales febres est, quam dispositionem in hac ætate constituti magis augere solent, errores diætæ varios committendo. Iuniores autem ob humidum adhuc abundans ac  
vege-



vegetum, seniores ob partes actiuas sulphureas balsamicas successiue deficientes, non tam prompte in hoc morbi genus incidunt.

**THES. IX.**

Sexus sequior, qui seriosior magis est, euitare hecticam potest facilius, nisi mensium fluxus vel excedens vel deficiens, vel alia causa grauior, sanguinem ita intemperatum reddat. Nec hereditaria dispositio omittenda est, qua character talis feminalis morbificus a primo statim oru humoribus imprimitur, qui postmodum ætate prouectiori a diætæ erroribus accedentibus facilius in apricum producitur, vti etiam per contrariam diætam diligenter institutam & continuatam deleri non raro potest. Habitus tandem gracilior aptus magis est ad hecticam suscipiendam, quam obesior, cum ibi humorum status proximior sit illi intemperiei, quam in obesio.

**THES. X.**

Ex rerum nonnaturalium classe aer calidior, serum nimis distillando, eius defectum, partes biliosas & reliquas actiuas salinas acuendo, acrimoniam auget. Hinc eo anni tempore, vbi æstus aeris magis viget, vti quoque in tali loci situ, qui aeris feruori est expositus, hectica facilius inuadit. Cibum & potum si deficient, restitutio humidum alibilis cessat, & transpiratio & reliquæ secretionum continuantes seri defectum & acrimoniam, neces-

fario post se trahunt, unde inedia diuturna ob hanc causam hecticam excitat. Idem valet de potus folius defectu vel parca nimis exhibitione, qui lympham restaurare & conseruare debet. Nec aliud quid expectare a qualitate alimentorum eiusmodi possumus, vbi vel alibiles partes paucissimas, contrarias vero plurimas, in se continent, vel acrioribus volatilibus & rarefactionem inducentibus scatent. Hæc enim, distillando lympham, & salia rarefacientia sanguinis augendo, noxam hic inferunt. Aromaticorum hinc, spirituosorum & acrium abusus, tam potulentorum, quam esulentorum, continuatus inprimis, cur hecticam efficere possit, sic patere potest.

**THES. XI.**

Vigilias modum excedentes siccare, satis notum est, continuatae hinc, si talem intemperiem in sanguinea massa relinquunt, mirum non est. Spiritus enim & humores in maiori motu vigiliarum tempore permanet, unde distillatio copiosior, & hac facta, acrimonia humorum maior confurgit. Nec minori efficacia exercitium corporis nimium seu motus & labores nimii continuati mali huius productioni fauent. Iteratis enim musculorum vehementioribus conuulsationibus, maior etiam humoribus per minimas vasorum extremitates, spiritibusque conciliatur agitatio, vt hinc celeriori cursu ad corporis transacti peripheriam, nimiam quoque per poros cutis, insensibili alias transpirationi dicatos, rescidi ac necessarii humidi cum virium deperditio-

ditione faciant iacturam; unde ob siccitatem maiorem inductam, acriumque concentrationem salium, simili ratione hectica fores aperiuntur. Neque damno caret, si statim a pastu, motu fortiori instituto, crudus & indigestus simul in vasa præcipitetur chylus, & sic salia in sanguine magis accumulentur.

### THES. XII.

Porro quoque animi pathematum efficaciam insanitatem humanam nemo negabit, qui mortem subitanam a nimio terrore, ipsaue lætitia, abortam, vel nimiam iræ excandescenciam secutos vomitus biliosos, tormina ventris, ipsamque epilepsiam, vel melancholiam quoque, grauioribus curis, mœrore atque sollicitudinibus contractam, vel ipsum tandem amorem nimium totius corporis consumptione exceptum, vnquam meminerit. Hæc vero dum præstant, quomodo turbando spiritus atque humores, secretiones consuetas varie inuertendo, lympham difflando dissipandoque, & hinc in acrimonia quoque inducenda humoribus, alias nutribilibus, culpa vacare possunt.

### THES. XIII.

Et ne excretionum varia genera prorsus inuoluamus silentio, defectu partim, partim excessu, peccantia, ad sui nos considerationem inuitant. Defectum quidem quod attinet, facillime ex naturalium secretionum ad illibatam sanitatem conseruandam necessitate,

B 3

cum

cum tota oeconomia animalis syncrifi debita atque diacrisi nitatur, patere potest, quas turbas, quanta incommoda earum excitet suppressio, retentis sic in corpore & fæculentis accumulatis impuritatibus, cum variis viscerum obstructionibus, dyscrasiam quoque sanguinis insignem simul inducentibus. Maxime bilis in hepate, in renibus urinæ, mensium autem & hæmorrhoidum, per sua organa, retardata vel plane suppressa secretio nostro patrocinator malo, particulis salino-sulphureo-tartareis hinc magis adauctis, non rite defæcato sanguine, variisque viscerum obstructionibus, maiori eorum proventui velificantibus. Neque tamen de earum excessu vllum etiam est dubium. Siue enim immodicis per vias mensium ordinarias, aut hæmorrhoides etiam, vel alia quacunque data porta, obortis hæmorrhagiis balsamicus vitæ thesaurus nimia profundatur copia: siue sudoribus diffuente corpore, ros ille nutritius, humidumque perdatur radicale, siue dysentericis aliisque excedentibus alui profluuiis, quin diabete ipsa, similis nutritii succi humidique necessarij iactura contingat, siue tandem, ne succi salivialis ob abusum fumi tabaci, vel aliorum, deperditionem laudemus, spirituum a venere nimia, curis, vigiliis, &c. plus æqua fiat exhaustio, vel denique suctione infantum fortiori, succi simul alimentares detrahantur depauperenturque nutricum; vberima semper exinde hectica suppeditatur occasio, in crasi laudabili hinc vitiatò sanguine, siccitate maiori atque acrimonia potius imperio.

THES.

## THES. XIV.

Huc quoque pertinet medicamentorum, etiam per se optimorum, præpostera nec satis circumspècta applicatio; qua officiosè quandoque, nimiam euacuationem excitando, vim sanitati inferre nulli dubitant, nihil hæc sua arcana aut polychresta nocere, si nihil iuarint, falso persuasi. Sic memini iuuenis cuiusdam plethorici, lassitudine totius corporis, appetitus prostratione, nariumque creberrimis hæmorrhagiis, laborantis, cui alicunde afferebatur remedium summe volatile, & quantum diiudicari poterat, ex spiritu salis ammoniaci & carminatiuis quibusdam oleis remixtis atque stomachicis paratum, cuius vsu in tantum incresebat malum, vt, nimia hinc sanguinis inducta exagitatione, noctesque diesque infestantem & vix reprimendam sanguinis profusionem incurreret, hecticaque ex nimia sanguinis atque spirituum depauperatione iam esset proximus, nisi tempestiua adhuc abstinentia & magis conuenienti cura esset ereptus. Sic vir quidam primarius quoque acidularum Egranarum optimo successu absoluta cura, ex vsu mercurialium pilularum sub finem adsumtarum, specioso polychrestarum deceptus titulo, inordinataque illo die prægressa diæta, tantam incurrerat hypercatharsin, vt, tono ventriculi prorsus deiecto, humorumque per aluum profusione facta nimia, lethalis eam presso pede sequeretur hectica. Vt taceam, quantum sudorifera, v. g. ex nimio theriacæ vsu, vid. *Zacutus Lusitanus Med. pr. bist. 41. 42.* purgantia item fortiora,

tiora, & stimulantia venerem incongruo tractata regimine, vel etiam ex fonte chirurgico immoderata venæ sectio, atque abusus fonticulorum, conferre huic malo valeant.

*THES. XV.*

Superfedemus iam scorbum hic in medium afferre, quomodo iam albo fluore mulieres, iam gonorrhœa simplici & virulenta uterque sexus hæcticæ incarrat labyrinthum, cum hæc ad præternaturalem statum potius pertineant, quo secundissimus quoque huic malo aperitur campus. Sic acutarum febrium iam æstu nimio, siccitate maiore, partiumque inducta debilitate; iam tertianæ intempestive atque incongrua cura, retenta atque impacta fortius materia peccante; iam annuo quartanæ conflictu, diuturnitate mali labefactatis viribus; iam variis mesenterii obstructionibus, ipsius osculis vasorum lacteorum a dysenteria graviori oblitteratis & occalescentibus, transitu hinc chyli impedito; eiusmodi sæpius contrahitur dispositio. Porro ventriculi culpa, si eiusdem digestio viciata talem intemperiem sanguini conciliet, hæticam quidam incurrunt, ut etiam scorbutus calidus non raro malum hoc facit & fovet. Præterea in non paucis ex abscessu, empyemate, vlceribusque internis, quod phthificis, pleuriticis, vlceribusque renum laborantibus solenne est: in aliis ex cancro occulto vel carcinomate ipso, scabie etiam vel lue venerea: in quibusdam aliis ex fontibus acria atque

atque impura affurgunt miasmata, quæ massæ sanguineæ hinc communicata eodem caractere eandem inquinant, atque sic hecticis lentisque febribus subministrant pabulum. Hoc innumeris medicorum observationibus hinc inde legendis demonstrare esset facillimum, si nos superflua prolixitate delectaremur.

### THES. XVI.

Hæc igitur omnia hæctenus enarrata, ut defectus & acrimoniæ feri certissima præbent seminia, sic producendæ fermentationi laudatæ & hinc hecticæ quoque aptissima deprehenduntur. Hæc vero varias pro circumstantiarum ratione admittit differentias. Præcipuam hecticæ differentiam gradus eiusdem constituunt vix agris primo se ægrotare sentientibus, phlogosin post partum abortam, cum subitaneo interdum genarum rubore pro bonis naturæ habentes, vsque dum maiori oborto calore continue exuratur corpus & marcescente carne secundus se ostendit gradus, nulla non solum facta ulterius nutritione, sed nutritarum potius apparente consumptione partium; quem tandem vix cute amplius osibus hærente cum facie Hippocratica atque calore adhuc maiori vltimus & summus excipere solet gradus. Altera differentia a more desumpta est, vbi est vel primaria vel symptomatica. Illa est, quæ nullum alium morbum pro causa habet, ut si a rerum non naturalium abusu proueniat nullo alio interueniente morbo, quod raro admodum fit. Symptomatica

ca autem, quæ aliorum morborum effectus est, & hæc frequentissima videtur. Posset etiam hæc symptomata ulterius diuidi, & ratione partis primario affectæ alia dici pulmonaris, alia stomachalis, alia hepatica, alia renalis, ne ipsam hereditariam vel a causis aliis desumptam seorsim laudemus, posset etiam alia dici solitaria, alia morbis aliis coniuncta, sed nolumus iam entia multiplicare præter necessitatem, cum potius ex re esse arbitremur, si hæctica signa, variaque eiusdem consideranda sumamus phænomena.

### THES. XVII.

Raro quidem patescit prius hæctica, quam altas iam egit radices, quam maxime tamen decet medicum, occasione & indicis datis de futuris etiam periculis hariolari ac præfagire. Hoc circa memendam hæcticam efficiet, si vitæ cuiusvis rationem examinare & penitus attendere velit. Quo magis enim ad has illas causas, superius iam enarratas, procliuem hunc vel illum videat, tanto facilius de hæctica periculo monere illum poterit.

### THES. XVIII.

Non ita difficilius de hæctica iam siente ferrur iudicium, dum anguis adhuc later in herba, & instar faullæ insensibilis tecta adhuc gliscit, si modo medicus tunc consulatur, vel ipsi circumstantiæ tum ratione causarum prægressarum, tum phænomenorum præsentium reddan-



reddantur cognita. Hoc vero dum ab agris negligitur, se agrotare non aduertentibus, quamplurimi decipiuntur, non medici sed sua culpa, cum leue malum nec curent, nec medico referant. Nam præter causas prægressas iam tactas calor a partu in volis præsertim manuum se exerens, pulsusque a statu suo naturali in frequentem deflectens, appetitus deiectus, aliaque satis testantur hectica initia adesse.

### THES. XIX.

Postquam vero maiora cœpit incrementa, celari amplius nescit, sed intemperies æqualis calida calore manifesto se prodit. Magis distato enim ac imminuto sero acrimoniaque sanguinis aucta motum acquirunt humores vitales rapidiorem, cum sic magis rarefactæ & ad motum concipiendum maiorem nimis habiles sint reddita eorum partes. Utque manifestus hic calor secundum gradum hectica signat, ita in tertio adhuc magis auctus sentitur, & aliquando in hoc exacerbatur instar paroxysmorum aliarum febrium, ob proportionem turbatam magis adhuc auctam. Pulsus per totum morbi decursum frequens deprehenditur. Citatio enim fit ob rarefactionem vitiosam, debiliior autem ob spiritus vna absumptos & debilitatos. Vires hisce mutationibus conformes etiam videntur, in principio enim leuiter tantum affici conspiciuntur, vt ægri vix sentiant aliquod detrimentum. Secundo vero in gradu notabilis earundem decrementum spectatur, &

adhuc maior lassitudo in tertio affligit. Defectui autem spirituum indies aucto, & reliquarum partium omnium debilitati haud leui sensim inductæ virium prostrationem deberi, apertum est. Eo minus etiam eandem restauratio speranda est, quo magis, quod fere fieri solet, deiectus vna appetitus præsto est. Absumptis enim & debilitatis spiritibus, menstruo & calore ventriculi intemperatis redditis, ipsoque eius tono debilitato, sensus hic obtusior, imo deficiens fere, redditur. Dolorem præterea hectica coniunctum habere solet nullum, vnde facilius fertur ab agris, & iis non sentientibus incrementa damnosa acquirit.

### THES. XX.

Maxime etiam in nostro affectu cognoscendo nutritionis negotium, quomodo procedat, respiciendum est. In primo enim hectica gradu exigua vel nulla fere est, quod tamen sub initium haud ita animaduertitur, cum non statim, si appositio debita haud fiat, imminutio consequatur, progressu vero facto, cum roscidæ simul atque nutritibilis lymphæ deperdatur thesaurus, & particulis acribus auctis gelatinosa eiusdem destruat consistentia, qui fieri potest aliter, quam ut in secundo gradu manifestus marcor exinde sequatur atque contabescencia. Non enim solum ineptus est sanguis ita constitutus, ut alimentum partibus præbeat, sed etiam ob acrimoniam & rapidiorem motum liquat, fundit & abripit partes carniū gelatinosas ac pulposas, ut

hinc

hinc satis manifeste hæc subsidant & extenuentur. Quamuis autem in tabe simplici & atrophia, ob mesenterii obstructions, variasque causas alias, similis exarscentia contingere soleat, absque tamen feбри hæc omnia fiunt. Ut adeo facillime a morbis aliis nutritionis læsioni coniunctis distingui possit hectica, si modo febris lentæ simul habeatur respectus. Vnde rectissime cum *Sennerto de Febr. fol. 343. Hæferus Hercul. Medic. pag. 361.* Viennenses illos carpit homines, quos mortuorum inspectores vocant, quod omnes ac singulos hectica occubuisse iudicent, quoties quali quali morbo extenuatum spectandum venerit cadaver, cum mille modis aliis corpus extenuari possit, ipsumque rō senescere nihil quam siccescere sit aliud. Porro feбри tali præsentem tandem plenaria corporis consumptio & marasmus incurabilis, quod in tertio gradu fit, apparet. Vnde nasus redditur acuminatus, oculi fiunt concaui, tempora collabuntur, vno verbo, facies tandem consurgit Hippocratica, ut viuum hinc repræsentent ægri skeleton.

### THES. XXI.

Sub dicta nimirum humorum constitutione transpiratio etiam, alias in statu naturali insensibilis & proportionata, nimis vrgetur, ut hinc per poros cutis vel insensibilis copiosior, quam par est, transpiratio fiat, vel sudores potius colliquatui prorumpant, per quam viam excrementitii feri exhalare debebant vapores. Vnde quod reliquum erat in corpore, dyscrasia salibusque

sulphureis soluendi virtute magis exaltatis, motu simul facto celeriori, resolutum penitus in auras auolat atque profunditur. Et hoc tempore maxime nocturno solet contingere, lecti tunc magis fortis accedente atque calore. Quamuis ex hoc solo signo de febre hectica non statim absolute sit concludendum, cum saepe etiam scorbutici istiusmodi diffluant sudoribus.

### THES. XXII.

Attendi etiam vrinae mutatio in febre hectica vtiliter potest. Sub initio quidem mali sanorum similis est, & nihil certi pronunciat, progressu tamen temporis imprimis in secundo & tertio gradu exinde signa incurunt oculos, quando maiori facta colliquatione oleosa euadit vrina, & instar araneorum telae superficiali eiusdem supernatat quaedam pinguedo. Licet in hoc quoque fallatur medicus, nisi reliqua simul conspirent, & pro signo habeat primario. Nam in bene etiam valentibus quandoque in vrina pinguedines haec apparent, bene agente natura partibus his superfluis secretis, vt *Foressus* eleganter *lib. III. Obs. III.* ex *Galeo* ostendit, monens iuniores medicos, ne, cum vrinam oleosam viderint, semper malum praesagiant.

### THES. XXIII.

Tacemus iam alia symptomata, quae pro diuersitate subiectorum, & affectuum coniuictorum, adesse vel superuenire solent, vt respirationem difficilem, diarrhoe-

arrhoeas, proclinitatem ad iram, & similia, quæ facile ad causas suas reuocari poterunt, si omnia phænomena præsentia habeamus cognita. Ante dicta enim sufficere poterunt ad deprehendendam hectica præsentiam, uti & morborum eam fouentium signa non sunt negligenda, ex suis loculis petenda, quamuis quandoque affectus ille primarius latitet, & præter hunc effectum nullum sui præbeat indicium, quo in casu difficilior eius est cognitio, & vix, nisi per coniecturam artificiosam, erui valet.

*THES. XXIV.*

Non vero sufficit in praxi morbum morbique causam certis criteriis eruere atque cognoscere, sed prognosin etiam quam maxime efflagitant adstantes æque atque ægroti; quare & hac ut sese muniat, interest futuri præfici. Caueat igitur, ne omni periculo vacare quis dicat hecticam, licet admodum sit chronicus morbus, & lento tacitoque irrepat pede, adeo, ut in principio ipsi ægroti se ægrotare nesciant, crescit enim eundo, & indies hinc reddita incurabilior tarditatem gravitate compensat. Spes vero reconalescentiæ atque salutis tanto affulget maior, quanto minori adhuc malum persistit gradu. Et quamuis calor maxime post pastum auctus, aliæque iam percipiuntur symptomata, modo sint mitiora, nec diu iam durarint, neque funestam, cum marcescentia rotius corporis, colliquationem habeant coniunctam, imminens insuper periculum in tem-

pore

pore sibi persuaderi, citoque ferri operam, ipsi patiantur aegroti, tantum abest, ut prognosi terreamus aegrotum, ut potius spe iucundissima excitemus animi vires.

*THES. XXV.*

Altius vero iam actis radicibus, magisque incrementibus symptomatibus, maxime si sudores nocturni, manifestæ corporis consumptioni viriumque summæ prostrationi coniuncti, indies maiora capiant incrementa, tunc spes omnino vacillat, & tanto minus de exoptato successu certi quid promittere licet, quo magis urina oleaginosa vel araneorum telarum speciem referentes pinguedines, quas superficies urinae exhibet, de colliquatione insigni nos certos faciunt. Neque etiam minus hæctica coniunctum est periculum, quæ febrim ardentem sequitur atque malignam, vel intermittentes quoque comitatur, ob citiorem nempe atque maiorem consumptionem humidi, viriumque prostrationem. Quemadmodum & restitutionem in integrum haud licet promittere, si principale vel minus principale quoddam viscus enormius læsum hæctica causam foueat. Eorundem enim restitutio, si essentialiter fuerint corrupta, arti omnino negatur, uti &, leuiori casu, ob denegatum accessum cura est difficilis, destructionem vero cuiusdam visceris non sine manifesto vitæ sanitatisque periculo perferre quisquam poterit.

*THES.*

## THES. XXVI.

Pesime vero omnium se res habet, si, his maiori in gradu iam constitutis, ipsa tandem Hippocratica se sistat facies, tuncque partium prorsus resolutio sensuum quoque accedat debilitas. Quemadmodum enim illa de summa atque plenaria humidi radicalis testatur consumptione, sic difficultas loquelæ cum imbecillitate visus, ipsaque tandem obliuio, quam & delirium non raro excipit, floccos simul legentibus agrotis, naturæ vires summæ prostratas ipsamque instare mortem, significant. Id quod ex variis quoque excretionibus, infausito omine nescientibus agrotis, ob summam toni resolutionem, contingentibus licet colligere. Unde & capillorum profluuium, si tabe laborantibus superueniat diarrhœa, ut & sine illo, infecuturam mortem, iam dudum monuit *Hippocrates. Sect. V. Aph. 12. & 14.* Moriuntur autem hectici quidam loquendo, & moriendo loquuntur, cum resolutio spirituum aucta subitam defectionem quandoque inferat.

## THES. XXVII.

Sicuti vero hocce in casu, nulla amplius reconualescentiæ spes est relicta, sic & in mitiori gradu hectica citam curationem haud licet promittere, si paulisper inualuerit, sin autem adhuc est in fieri hectica, facilius omnino & citius curatur, nisi causa fouens grauior obstat. Longe tamen facilius succedit cura, si iuuenilis ætatis robur succurrat naturæ, quam si declinante iam-

D

iam

iam aetate per se fatiscant vires, quæ tanto minus etiam sufficiunt, quo magis morbo iam prægresso alio, vel adhuc coniuncto, vel diurnitate quoque mali, infractæ magis fuerint atque exhaustæ. Et licet mulieres etiam præ viris, pueri præ iuuenibus, vel aetate virili constitutis, ob statum plerumque humidiorum facilius ferant hecticam, tamen, enormiore huius temperiei mutatione facta, eadem haud raro cum aliis experiuntur fata.

### THES. XXVIII.

Ceterum cum sanitate in gratiam rediturum ægrotum, exinde colligere licet, si cum leuamine decrescant non solum symptomata, sed indies quoque se melius habere incipiat æger, pristino paulatim redeunte vigore. Quod si vero in phthisi coniuncta tussis cessat atque remittit, tunc id nequaquam in bonis est habendum, cum potius expectoratio puris sit maxime necessaria, qua excretionem suppressam non solum augetur hectica, sed & instantis delirii præbetur indicium. *Hipp. Coac. Prænot. Text. 259.* Vti & quam maxime erraret, si quis tumorem pedum, funestum potius signum, pro noua nutrimenti appositione habere velit. Pessime vero res plerumque solent cedere, si frustra quibusuis adhibitis medicamentis, in deterius quotidie ruat malum. Quod si vero ad finem in hecticis properat vita, viua simul mortis imago in facie apparet Hippocraticæ, continuis nocturnis sudoribus colliquato penitus exsic-



exsiccatoque corpore, donec resolutio partium tono, aluique atque vrina quandoque inuoluntario facto profuuiuo, sensus simul cessent, ipsumque tandem corporis cum anima soluatur vinculum.

**THES. XXIX.**

Hoc vero vt, quantum hominibus est concessum, precaueatur sedulo auertaturque, indicationes eruenda sunt, iuxta quas instituenda est curatio. Ex his autem curatoria dicta fermentationem peregrinam tollere fatagit, praeseruatoria causam fouentem remouet & corrigit, vitalis vocata viribus restaurandis, & symptomatibus vrgentibus remouendis, inuigilat. Fermentationem peregrinam in hac febre tollunt, quae feri & defectum & acrimoniam corrigunt. Causam vero fouentem remouent, quae hoc malum fouentem morbum adhuc praesentem, & miasma peregrinum rarefactiuum massa sanguinea inferentem, abigunt & minuunt. Vires restaurat, praeter dicta, diata conueniens, symptomatibus vrgentibus autem singulis e suis loculis satisfieri debet. Quibus vero hac obrineri liceat, singulos remediorum fontes percurrendo, indicabimus.

**THES. XXX.**

Ex chirurgico fonte venae sectio causa fouenti aliquid remouenda apta est, vt si ab euacuatione sanguinis ordinaria suppressa, v. g. mensium vel hamorrhoidum obstructione timenda sit hectica, par ratio est,

D 2

si ha-

si hæmorrhagia nimia eam inducere valens compescenda veniat. Ibi enim vel euacuando partes acres onerosas, vel deriuando ad locum excretioni conuenientem, hic vero reuellendo usum præstat, vt hectica imminens præcaueatur, vel in fieri iam existens tollatur. Aliis vero in casibus, vbi talis vel similis causa haud subest, omitti potius debet, imo ne in his quidem, si principium præterlapsum sit & incrementum iam magis ceperit, amplius conuenit. Eiusdem commatis sunt reliqua, quæ sanguini euacuando destinata sunt remedia chirurgica. Haud aliter de fonticulis & setaceis est sentiendum. Præprimis enim ad vlcus quoddam, hecticam inducere valens, curandum, educendo & reuellendo humores acres, falsos, copiosos, vtilia sunt, ipsi vero hectica iam facta & ab aliis causis dependenti haud conueniunt, sed a defectu lymphæ potius contraindicantur. A frictionibus autem nullum in hectica sperari potest commodum, contrariæ enim potius sunt, dum humores agitant, & rarefactionem eorum promouent. Neque enim applicatio vnguentorum vel oleorum conueniens æque ad frictionem pertinet, cum hoc loco sine frictione omnino fieri debeat, & proprie frictio euacuandi sine instituat, quod hic alienum est.

### THES. XXXI.

Ex pharmaceutico fonte quæ habentur remedia sunt vel euacuantia vel alterantia. Euacuantibus dictis indicationibus satis facere non licet, cum lymphæ defectum

fectum potius augeant. Sin autem a ventriculi vitio & cruditatibus in primis viis hærentibus foueatur, in principio leniora & mitiora conueniunt, vt rhabarbarum elect. fenna, species diasenn. sirup. rofar. solutius, de cichor. c. rhabarb. puluis lax. veget. manna Calabrin. elect. lenit. de manna, &c. atque sic ad secundam indicationem pertinent. Fortiora autem nec in principio sine damno adhibentur. Emetica quoque vix, nisi sub hac conditione, vnquam vtilia sunt. Et quanquam *Kerckringius obseru. 56.* testetur feminam desperata febris hectica dolore ventris coniuncto laborantem emetico curatam, glandulosa inde per aluum cum successu excreta substantia, non tamen temere hæc imitari licet. Sin vero indicetur, nec contraindicans, vt vlcus pulmonum vel aliud, adsit, rad. Ipecacuanhæ posset sufficere.

### THES. XXXII.

Sudorifera etiam hectica curatio non admittit, nec ex diaphoreticis nisi mitissima præcipitandi & temperandi magis, quam dissipandi, vim habentia, quo nomine etiam sub hisce illa referre maluimus. Nec diuretica actiuiora idonea hic sunt, & blandiora ex illis non tam euacuandi, quam aperiendi & temperandi, efficacia pollentia vsurpantur. Maxime vero tanquam noxia hic vitare debemus acria, alcalia & acida.

D 3

THES.

*THES. XXXIII.*

Alterantia autem magis scopo apta reperiuntur tam interna quam externa, ex internis primæ indicationi vtilia ante omnia laudari debent humectantia seu lympham blandam restituentia. Talia sunt aquea diluentia, acrimonia expertia. Habentur ita aquæ destillata, vt borrag. bugloss. ceras. nigr. summit. abietis, plantaginis, ros maialis, ros vitrioli volatil. Vti & laudatur aqua analeptica mirabilis Ferdinandi, limac. pulmon. vitul. quæ tamen ex animalibus frustra feruntur, cum vtiliores partes minus transcendant alembicum, sed in fundo vasis remaneant. Vnde etiam proprie hæ aquæ analepticæ haud sunt, sed tantum diluentes, humectantes & alterantes. Inferuire hæ aquæ possunt parandis inde potionibus, & emulsionibus. His addi merentur decocta ex rad. chin. scorzoner. cichor. glycyrrh. herb. endiu. cichor. portulac. borrag. bugloss. lactuc. flor. borrag. bugloss. nymphææ rastur. CC. eboris. hord. mund. passulis minoribus & similibus parata, vbi recte quadam ex his vegetabilibus recentia adhiberi suadent.

*THES. XXXIV.*

Vti vero hæc potissimum defectui feri debentur, ita ad acrimoniam eiusdem temperandam tum eadem conueniunt diluendo, tum aqueo-oleosa, mucilaginosa gelatinosa & dulcia temperatiora, inuoluendo & obrundendo spicula salina, & rarefactionem ac distillationem.

lento.

lentore suo blando impediencia. Ex illis est lac afinum, humanum, bouillum, quod ob humidum copiosum iunctum vtrumque præstat. Ita semina quatuor frig. mai. papau. alb. nucl. pinear. pistacia amygdala dulcia, hord. mund. paulo ante ad decocta commendatum, & similia, partim in substantia, partim in emulsionibus, partim in decoctis adhiberi valent. Ex mucilaginosi & gelatinosi conueniunt gelatina corn. ceru. ebor. carn. suill. rad. alth. symphyt. gumm. Arab. tragac. & ex talibus compositus puluis Haly. Circa semina laudata tamen notandum, quod semper recentia, non autem rancida, recipiantur, quod & in pulu. Haly obseruandum, vnde non nisi recenter dispensatus præscribi debet, ne ob acrimoniam rancidam potius noceat. Dulcia, quæ hic conueniunt temperatiora, non autem melita vel mere saccharata, sint, vt passula Corinthiaca, rob. de passulis, elect. de passulis, conseru. rosar. symphyt. confect. alkerm. s. mosch. quibus accenseri omnino meretur celebre hodie sic dictum saccharum lactis. Hæc tamen omnia ita prudenter administranda sunt, vt & ventriculi habeamus rationem, & reliquarum circumstantiarum, ne, dum hæc feri vitia corrigere intendimus, alia inducamus.

### THES. XXXV.

Ad acrimoniam volatilem compescendam ex alterantibus etiam apta sunt præcipitania & absorbentia mitissima, cum humectantibus & parca quantitate propi-

propinata. Nam & hæc salium vim infringunt, dum in poros suos recipiunt, & motum feri nimium mitigant. Talia sunt mag. perl. mater perl. corn. ceru. phil. ebur. sin. ign. præp. corall. conch. præp. & inprimis quoque antihect. Poterii, uti & bez. mineral. magister. antimon. diaph. a quibusdam laudatur, sic & lap. bez. occid. lap. de Goa, bez. solar. spec. diasaturn. Mynf. & huius generis alia adhiberi possunt, ipsaque china de china prouide reliquis addi.

### THES. XXXVI.

Causa fouens si sit obstructio glandularum intestinalium, vasorum lacteorum, vel viscerum quoque, ut in scorbuto, aperiencia etiam, sed temperata, nec siccitatem nec calorem inducentia, habent locum. Talia sunt martialia temperata humida, ut tinctur. mart. cydon. pomat. c. aqua summ. abiet. tinctur. mart. temperata, quibus etiam salina media temperata, iungi possunt. Sic arc. tartari tincturis dictis cum aqua summ. ab. laudata commode iungitur, sic arcan. dupl. Mynf. tali in casu prodest, sic ab Ettmullero sal ammoniacum vel solum vel cum antihect. Poterii valde commendatur, si post febrem continuam male curatam vel intermittentem hectica ingruat. Eiusdem commatis est mixtura ex aceto destillato & lapidibus cancrorum vel perlis ab eodem laudata.

THES.

## THES. XXXVII.

Quod si abscessus vel vlcus, in pulmonibus vel aliis partibus, foueat malum, traumatica, abstergentia & consolidantia atque balsamica conueniunt, semper simul partem affectam respiciendo. Vnde tunc quoque antimoniata laudata, lap. cancrorum, eff. traum. theriac. balsam. & quæ alias in phthisi commendantur, vsurpanda sunt. Ex balsamicis consolidantibus balsamum sulphuris anisatum maximopere laudat *Syluius*, cuius præparationem *Emullerus* cum ol. express. amygd. dulc. suadet, addendo postmodum guttas aliquod ol. anis. vt sic temperatus sit, quod omnino non est de nihilo, quantum & alterum cum ol. anisi paratum, si aliquot guttulis tantum mixturæ conuenienti addatur, ita temperetur, vt efferatio inde timenda non sit, imprimis humectantibus simul in vsum vocatis. Resinosa quoque a quibusdam huc referuntur, vt terebinthina in vitello oui soluta, quæ in gonorrhœa coniuncta admitti suo modo potest, alias vero hæc & alia resinosa acriora consultius omittuntur, balsamicis selectis & temperatis magis in vsu vocatis, quibus etiam semen lycopodii, pectoralibus & callis iunctum, merito annumerari potest. Eodem modo, alio affectu fouente præsentem, ipsi occurrere debemus per remedia debita, ita tamen selecta, ne vel lymphæ absumatur, vel acrimonia eius ac rarefactio augeatur.

## THES. XXXVIII.

Symptomatibus vrgentibus ex suis loculis succurritur, vt diarrhœæ roborantibus & temperantibus medicamen-

camentis v. g. ex cydoniis, rosis ficcis & unicornu fossili ac similibus paratis, quæ ab *Estmullero* laudantur, ubi commode etiam ess. ther. bals. habet locum. Sudores colliquatiui vrgentes mitigantur moderate adstringentibus & concentrantibus, quo nomine tinctura antiphthifica *Gramanni* celebris est, vti & tinctura martis temperata *Vvedelii* facit officium. Alii opiata parua dosi aliis remixta laudant, quæ tamen alias sudorem mouent, nisi iuncta id vna impediunt.

### THES. XXXIX.

Ex externis alterantibus affectui nostro conferentibus sunt inprimis ea, quæ rarefactionem lymphæ moderatiorem reddunt, vt balnea humectantia & temperantia, quæ prius tepida & postmodum temperate frigida adhibentur, ne rarefactionem augeant. Et hinc parantur ex aqua dulci, additis mucilaginosi temperantibus, in quibus etiam sunt lac, caput & pedes vituli vel veruecum. Eidem scopo debentur vnguenta & olea, refrigerantia, porosque oblinendo nimiam transpirationem refrenantia, vt ol. nymph. plantag. fymph. rosac. vngu. resumpt. infrigid. Galen. rosatum Mef. vt & emplastr. de sperm. ranar. dorso impositum. Acetum etiam odoratum, tum alias, tum hic quoque, distillationem lymphæ nimiam & sudorem excedentem minuit, quatenus acidæ particule exhalantes figunt alcalinas in motu maiore constitutas. Omnium autem horum remedium, tam interiorum quam exteriorum, vsus debet pro circumstantiarum presentium varietate ita moderari,



rari, vt prodesse tantum, nocere autem minime queat, quod præceptis includi omnino nequit, sed prudentiæ cuiusvis medici, omnia hæc probe considerantis, reliquendum est.

*THES. XL.*

Diateticus tandem fons his omnibus fert suppetias & maxime viribus restaurandis aptus vna est. Aer hic temperatus ad frigidum paulisper inclinans aptior est. Cibus sit boni succi & abundet partibus alibilibus, blandis, gelatinosis. Absint vero in his acria, aromatica, salsa, piperata & resolutioni resistentia. In se lectu vero ciborum a variis autoribus propositorum, videndum, quid ferre ventriculus ægri possit, quid minus, inuita enim natura hic quoque nihil molendum. Lac imprimis amicum his est, vt & iuscula auenacea & similia. Potus ordinarius potest concedi, bene tamen constitutus, spirituosus vero nimis ob rarefactionem inde timendam non conuenit. Motus maior & reliqua, quæ superius sub causis iamdum ex rebus nonnaturalibus fuere recensita, aliena sunt, vnde contraria proportionata substituenda erunt, quibus omnibus probe ordinatis & administratis restitutio ægri obtinetur, vel, si id fieri nequeat, nihil omissum fuisse, quod ad restituendam sanitatem facere vlllo modo potest, sufficiet.

*SOLI DEO GLORIA!*

E 2

Cava

❁ ( \* \* ) ❁

**C**ara patris cari soboles! noua stella medentum,  
Quos patrius pridem condecorauit honor!  
Zopsiadum titulos, incepraque stemmatis auge!  
Quod mihi delicias, ceu Tibi lucra, dabit.

De Confobririno egregio  
Hac disertatione sollempni  
Ad summorum in medicina honorum  
Licentiam

Viam sibi aperiente,  
Quemadmodum toti Familiae  
Ita & mihi gratulatus  
scribebam

**IO. CASPAR POSNER,**

Eloquentiae Professor  
Nec non Ordinis mei Decanus  
Iamque Prorektor Academiae designatus.

---

\* \* \*

**M**Orbi constantes & fixi in corpore dantur,  
Non minus atque vagi, teste febris & podagra.  
Tollere utrosque suo salubri medicamine par est,  
Dummodo non nodi, neue marasmus adest.  
Tu fixosque vagosque satis propellere nosti,  
Et medios, hinc Te purpura clara manet!

Honoris meritisimi & gratulationis faustæ  
ergo scribebat

**GEORGIUS WOLFFGANGVS WEDELIVS.**

---

\* \* \*

**T**am Tua splendescens in Te, quam Patria, virtus,  
Exemplo raro, premia digna parat.

Faustæ gratulationis & beneuoli ac sinceri  
affectus causa scripsit

**P R Æ S E S.**

❁ ( o ) ❁

X2403645





1718, 23  
~~24~~ 27

21.  
2. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE

# FEBRE HECTICA,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

## GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE,  
IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, VVEST-  
PHALIAE, ET RELIQUA,  
PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO,  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, PROFES-  
SOR. PVBL. ORDINARIO, MED. DVC. PROV. SAXO-VINAR. AC CI-  
VITAT. IENENS. PHYSICO,

### PRO LICENTIA

SVMAMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA  
& Privilegia Doctoralia,

MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI  
SOLEMNI PHILIATORVM  
examine submisit

### HENRICVS GOTEFREDVS ZOPFF,

GERA-VARISCVS.  
AD. D. VII. FEBR. M DCC XVIII  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS.

IENAE, CHARACTERIBVS KREBSIANIS.

